



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Introductio De feruentibus Amoris, & Gratitude affectibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

INTRODVCTIO  
DE FERVENTIBVS  
AMORIS ET GRATI-  
tudinis affectibus.



EDITATIONES, quas in  
precedentibus huius operis  
partibus posuimus, fuerunt  
præcipuè de Mysterijs; quæ  
spectât ad humanitatem Ie-  
su Christi Domini nostri;  
& opera, quæ in ea; & per  
eam ipse gessit antè & post Resurrectionem;  
quamvis aliquæ fuerint insertæ; de aliquibus  
Mysterijs, ipsius Diuinitatis proprijs, propter  
connexionem, quam habent inter se, quatenus  
ab vna eademque persona proueniunt, quæ si-  
mul est Deus & homo: quas verò in hac partè  
ponemus, illæ erunt præcipuè, de Mysterijs;  
quæ pertinent ad Diuinitatem, & Trinitatem  
Dei; & ad opéra, quæ ab eo in bonum homi-  
num procedunt: quibus, propter eandem cõ-  
nexionem, inserentur etiam aliquæ de My-  
sterijs spectantibus ad humanitatem. Et quam-  
uis hæc (teste S. Thoma) sint magis nostræ de- 2. 2. q. 52.  
bili naturæ proportionata; illa tamen, quæ 4. 3. maxi-  
sunt Diuinitatis, sunt ex se magis excellentia, me ad 2. &  
quibus præcipuè pascuntur Angeli, & spiri- q. 180. a. 4.  
tus Beati; illique viri perfecti, qui corpore

4  
in terra degentes, spiritu habet suam conuer-  
sationem in celis; & continua Meditatione, &  
contemplatione rerum coelestium, augent ac-  
perficiunt flagrantem Dei amorem, & perfe-  
ctam cum eo vnitionem, quae finis & scopus  
est viae VNITIVAE, vt dictum est in quinta  
Partis Introductione.

S. Basilius  
in Reg. Bre-  
ui. 157.

11

PRAECLARE hoc explicuit S. Basilius, re-  
spondens ad quandam interrogationem, sibi a  
suis Monachis propositam, circa affectionem,  
qua esset Deo seruiendum, & in quo ea affe-  
ctio consisteret: quibus ipse his verbis respon-  
dit: Bonam animi affectionem, ego esse existi-  
mo, cupiditatem vehementem placendi Deo,  
eamque insatiabilem & stabilem, & constantem.  
Comparatur autem hac ex solerti & continenti  
contemplatione magnitudinis gloriae Dei, & gra-  
ta repetitione, & recordatione assidua datorum  
nobis beneficiorum a Deo: Ex quibus in anima il-

a Matt. 22.  
37.

b Psal. 41. 2.

c Rom. 8. 35.

lud ingeneratur, a diliges Dominum Deum  
tuum ex toto corde tuo, & ex tota fortitudi-  
ne tua, & ex tota mente tua, sicut faciebat ille,  
qui dixit: b Quemadmodum desiderat anima  
mea ad fontes aquarum, ita desiderat anima  
affectione, seruiendum est Deo, illudque effici-  
endum, quod dictum est ab apostolo: c. b. Quis  
nos separabit a charitate Christi? tribulatio,  
an angustia, an persecutio, an nuditas, an pe-  
riculum, an gladius? &c. Haec Basilius: Qui-  
bus verbis, breuiter nos docet S. Doctor, prin-  
cipalem finem vitae Contemplatiuae, in supre-

mogra-

DE AMORIS AFFECTIB: 5

mo gradu suæ perfectionis; & præcipua me-  
dia, eam obtinendi; & fructum, qui ex illis  
medijs prouenit. Simul verò & eâdem operâ  
declarauit quoque, quanta perfectione exer-  
cenda sint opera vitæ actiuæ, adiuncta scili-  
cet illis, internâ deuotione, & spiritus feruo-  
re: qui in eo est situs, vt magnoperè afficia-  
mur, ad ea, quæ sunt Diuini obsequij; deside-  
rantes in eis placere, non mundo aut carni,  
aut nobis ipsis, sed soli Deo: eò quòd ipse  
talis sit, qualis reuera est: cui nostro de-  
siderio, hæ quatuor conditiones sunt adiun-  
gendæ.

**PRIMA** est, vt non sit desiderium tepi-  
dum aut remissum; quale est pigrorum, quod  
sistit in solo desiderio, cum magno desideran-  
tis detrimento, iuxta illud, quod Spiritus san-  
ctus dixit, *d desideria occidunt pigrum*; sed  
esse debet vehemens, forte, & efficax, quale  
est feruentium, quod non sistit, nisi ad ipsa  
opera perueniat, quæ præstat integrè & ex-  
actè.

**SECUNDA** conditio est, vt sit desiderium  
insatiabile: ne videlicet facillè sit contentus  
paucis aliquibus, quæ præstat, aut perfert, et-  
iamsi faciat aut perferat, quantum potest; sed  
vt ad multo plura extendat se illud deside-  
rium: nec solum tædio aut fastidio bonorum  
operum non afficiatur; sed etiam tantâ fame  
illa appetat, vt nunquam satietur, &, sicut ig-  
nis, *e nunquam dicat sufficit.*

**TERTIA** conditio est, vt sit stabile, ne vi-

I.

d *Prov. 21.*

25.

II.

e *Prov. 30.*

16.

III.

f *Prm. 13. 4.*

delicet ab hoc in illud facile moueatur, sicut piger, de quo ait Spiritus sanctus, *f vult & non vult piger*. Leuiter enim varia virtutis exercitia vult experiri, hæc relinquens ex tædio, & alia atque alia aggrediens, absque firmitate & stabilitate in bono, quod semel cœpit; cum tamen illa stabilitas, valde sit necessaria, ad culmen perfectionis, peruenire cupienti.

IV.

//

g *Psal. 41. 3.*

QVARTA, vt ita sit constans, & perseverans vsque ad mortem; vt non solum non dimittatur, sed nec laxetur, aut intepescat, ob tentationes aut persecutiones occurrentes; & inuictò pectore, magnoque animi robore, hinc omnibus se opponat, sicut g *ceruus* valde sitiens, *desiderans ad fontes aquarum*, magna vi fruticeta & crepidines perumpit, donec ad aliquem fontem perueniat, vbi sitim suam extinguat. Has omnes proprietates habuit desiderium, quo CHRISTVS Dominus tenebatur exequendi voluntatem Patris, circa nostram reparationem; vt ex ijs, quæ in tertia & quarta parte sunt dicta, constat. Quæ sola consideratio sufficeret, ad similem in nobis affectum excitandum, cum par sit discipulum imitari suum Magistrum; & sit æquissimum, eodem affectu me in eius obsequium impendere, quo ipse se impendit in meum commodum.

S E D relicta nunc hac consideratione, de qua multa sunt dicta, idem Sanctus Basilius alias duas hinc ponit, quæ ad nostrum institutum

turum multum valent, quibus sensim obtine-  
tur hic affectus, cum conditionibus prædi-  
ctis.

I.  
PRIMA est, consideratio magnalium Dei,  
& excellentiarum ac perfectionum eius, pro-  
pter quas dignus est, qui ametur, laudetur, &  
ei seruiatur, ac obediatur infinito quodam af-  
fectu, si id esset possibile: sed quia id non  
est: omnes tamen & singulæ earum mouent,  
& obstringunt nos, ad procurandum affe-  
ctum, quem habere possimus vehementissi-  
mum, insatiabilem, constantem, & perseue-  
rantē. siquidem, ut ait Ecclesiasticus: *h etiam si h Eccl. 43.*  
*glorificetis Dominum quantumcunque potueri- 32.*  
*tis, superualebit adhuc.*

II.  
SECUNDA est, contemplatio innumerabi-  
lium beneficiorum, quæ de ipsius manu acci-  
pimus; ab ipso donata amore quodam vehe-  
menti, insatiabili; & ita cōstanti, ut nunquam  
bene nobis faciendo defatigetur, nec dona sua  
communicando satietur; nec porro cessabit,  
quod in se est illa nobis communicare per to-  
tam æternitatem suam. Qua ratione obstrin-  
git nos lege gratitudinis, ut desideremus infi-  
nitis ei<sup>9</sup> beneficijs reddere infinita obsequia,  
si ea nobis essent possibile; siquidem, quid-  
quid nos possumus, est parum ad responden-  
dum plurimis, quæ ipsi debemus.

Ex his colligit S. hic Doctor, quòd his cōsi-  
derationibus, generetur sensim in anima per-  
fectio illi<sup>9</sup> amoris, quo Deus vult diligi, cū di-  
cit: *Diliges Dominū Deū tuū, ex toto corde tuo,*  
*i Dou. 6.5.*  
*i Mat. 22.*  
*37.*  
*i Luc. 10.27.*

S. Thom. 2.  
2. q. 44. a.  
4. & 5.

*Ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, & ex omnibus viribus tuis.* Omnes itaque facultates nostræ internæ & externæ, sensus omnes, & membra corporis nostri, modo quo singula possunt, occupentur in diligendo Deum, & iuvent operationem amoris insatiabili vehementia, & perseverantia. Nam memoria & intellectus solùm diligunt, cùm recordantur, & cogitant, ac perpendunt ea, quæ ad amorem prouocant; imaginandi, & appetendi facultates etiam tunc diligunt, cùm producunt imaginationes & affectus, qui excitant, & acuunt amorem: Sensus diligunt, quando oculi, aures, lingua, & gustatus oblectantur, videndo, audiendo, & loquendo de rebus, quæ ad ipsam amorem diriguntur; & omnia membra corporis diligunt, quando subseruiunt ad exequenda opera amoris Dei: Ac denique omnes nostræ vires, amare censentur, cùm omnes occupantur in Deo diligendo, quæ possunt intensione; & in superandis difficultatibus, quæ obsistunt; & in resistendo tentationibus, quæ à diligendo, illas auertunt: quod ita *charitas* in anima radiceatur & fundetur, vt *l creatura nulla possit eam ab illa separare, nec in aqua multa tribulationum eam extinguere, aut flumina eius flammis obruere*: imò potius illæ, huiusmodi aduersitatibus ita crescant, & perficiantur; vt nos permoueant ad imitandas heroicas & exemplares Diuinitatis virtutes, (quarum fiet mentio infra Meditatione sexta) eo modo, quò CHRIS-

STVS Dominus, quà homo, eas est imi-  
 tatus: qui optimo iure dicere nobis potest:  
*Imitatores mei estote, sicut ego* Patris mei. Hęc  
 omnia complectitur via VNITIVA, & finis  
 harum Meditationum. Nam, etsi amor & affe-  
 ctus adeo excellens, vt prædictum est, sit do-  
 num gratuitum Spiritus S. qui placidè & abs-  
 que multis ratiocinationibus, n̄ *introducitur* n̄ *Cant. 2. 4.*  
 suos electos *in cellam vinariam*, eosque ine-  
 briat feruentissimo amoris sui vino, magnas-  
 que delicias illis impertitur, in cognitione,  
 quæ habetur ipsa experientia immensæ cha-  
 ritatis ipsius; ex nostra nihilominus parte,  
 eius auxilio adiuti, eidem cellæ appropinqua-  
 mus, volantes duabus his alis duplicium harum  
 Meditationum, circa perfectiones ipsius Dei,  
 & eiusdem in nos beneficia. Quæ Meditatio-  
 nes ita vicissim inferuntur, ob connexionem,  
 quam inter se habent; eò quod in hac vita, non  
 possumus peruenire ad cognitionem Magna-  
 tum ipsius Dei, nisi per eius opera, beneficia,  
 & dona, quæ ab eo promanant: & quoniam in  
 huiusmodi donis, simul resplendent multa  
 Dei attributa; ideo etiam in meditatione  
 alterius horum, inferenda sunt  
 aliqua, quæ pertinent ad  
 alterum.